



**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Caput VII. Plurimi ex omnibus Orbis Christiani nationibus clarißimi
Doctores, easdem sententias tenent.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

Neapoli 1649. resolut. 61. num. 5. pag. 268. Sequi probabilem opinionem, inquit, relicta probabiliori, cuiusmodi est in conscientia. Citat auctores septem, additque, & alii apud istos.

CAPUT VII.

Plurimi ex omnibus Orbis Christiani nationibus clarissimi Doctores easdem sententias tenent.

MULTOS utriusque opinionis celeberrimos defensores unanobis suppediat Hispania. Martinus Aspilcuera Navarrus, qui merito doctissimus & piissimus à Bellarmino appellatur, de peccat. dist. 5. num. 38. ita loquitur: Respondeo secundum, negando semper tutiorem partem eligendam esse, quoniam satis est eligere tutam, ut erudite & acriter declarat Antoninus, & facit glossa recepta, quae secunda est, quam dicit singularem Alexander. Quamquam verum est eum peccare mortaliter, qui facit aliquid dubitans, an sit peccatum mortale, nec ne, juxta illud, qui amat periculum peribit in eo. Sed aliud est dubitare, an tale quid faciendum sit, aliud credere ratione probabili, & autoritate alicujus illustris Doctoris admonente, ut pulchre in loco praecitato declaravit Antoninus, & nos latius & magis ad vivum disputabimus super illis verbis, tene certum, & relinquere incertum; & resolutius post hac tradidimus in Manuali Confessorum.

Primus locus, quem ex suis operibus Navarrus hic citat, sumitur ex distin. 7. de peccat. num. 3. ubi sic habet: Sexto inferitur, per hunc textum minime probari teneri nos, sed tantum consilio regulariter ad eligendum in rebus agendis tutiorem partem, nisi aliud ad id nos urgeat praeceptum. Inferitur autem in hunc modum: Nam omnia jura, quae habent in rebus agendis partem eligendam esse tutiorem, significant ut partem illam eligamus, quae animae utilitati est certior: at supra dictum est consilium tantum, esse, etiam in spiritualibus, ut certiora minus certis praelegamus; ergo consilium tantum, & non praeceptum fuerit tutiorem partem eligere. Locus alter petitur ex Manuali, cap. 27. num. 288. ubi quae de meliori opinione deligenda pluribus disseruerat, ita restringit: Quamvis in foro contentioso regulariter praedicta observanda sint, in foro tamen conscientiae ad effectum non peccandi, sufficit eligere pro verâ opinionem esse, quem merito censemus idoneam ad id conscientiae, & conscientiae praeditum.

Tuetur illud ipsum Petrus Navarra, cuius summa est apud doctos auctoritas, lib. 3. de Restitutione, cap. 1. num. 237. editionis Toleranæ anni 1597. p. 140. Juxta communem, inquit, Theologorum sententiam sufficit ad securitatem conscientiae opinioni probabilis conformare, etiam si sit minus probabilis.

Joannes Medina celeberrimus in Academia Complutensi Theologiae Professor, Codicis de rebus restituendis, quæst. 22. de rebus per ludum acquisitis, editionis In-

golstadiensis, an. 1581. p. 148. quærit: Quid agendum sit in casu, quo Doctores: varia opinantur; atque ubi afflicta fuit, durante dubio hominem teneri ad illud, quod tutius esse cognoverit, subdit: Poterit tamen, dubio deposito, illi opinioni adherere, quam viderit, aut audierit à Doctoribus fide dignis approbati, quibus se tute poterit conformare; & quia non video auctoritatem, aut rationem convenientem ad tenendum, esse de salutis necessitate praefatum lucrum restituendum, opinioni liberanti potius, quam condemnanti arbitror adherendum.

Subscribit eidem opinioni Ludovicus Montesinus, quem Basilius Pontius l. ro. de Matrim. c. 15. num. 1. appellat insignem Magistrum Complutensem, non minus moribus, quam doctrina. Nam in Commentariis ad 1. 2. disp. 29. q. 5. §. 3. quærit: Vtrum licitum sit operari juxta opinionem minus probabilem, & minus tutam. Quam quaestionem ita decidit num. 172. Dicendum nobis est primum, vir literatusticite operatur, sequendo opinionem minus probabilem, & minus tutam. Iam hac sententia est communis in Scholis, & late probat Medina, &c. Quod ubi pluribus argumentis efficit, & adversariorum objectiones dissolvit, alteram conclusionem ponit num. 177. Dico secundo, etiam illiteratus, & indoctus licite potest sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam.

Plures pro ea sententia auctores citat Joannes Sanches Abulensis, disput. 42. de Sacramentis, num. 12. Licitum esse, inquit, sectari opinionem minus probabilem, relicta probabiliori, docent Mercado, &c.

Prius idem fecerat Nicolaus Garcias tract. de Benef. part. 11. cap. 5. num. 361. Po- test, inquit, sequi opinio probabilis, relicta probabiliori, ut tenent Armilla, Bartholom. Medina, &c. & recentiores communiter.

De eadem quaestione ita pronuntiat Hieronymus de la Rua, Theologiae in Schola Toletana olim Professor, tom. 2. Theologiarum controversiarum, sexta controvers. dub. 6. pag. 182. editionis Matritensis, anni 1620. Dico quintò, posse aliquem bene operari contra opinionem probabiliorē, & contra opinionem tutiorem, sequendo tamen opinionem probabilem & tutam.

Concinnat Petrus de Ochagavia Salamancae Ecclesiae Theologus, in Tractatu de Sacramentis, de Baptismo, quaestione 11. num. 11. Licet operans, inquit, in aliis rebus satisfaciatur suae conscientiae, & obligationi, sequendo opinionem probabilem, etiam si sit minus tuta, quia rigorosum & intolerabile esset semper operari secundum opinionem probabiliorē, & tutiorem: non tamen in re tanti momenti, qualis est Baptismus, &c.

Idem sentit Joannes Agidius Trullench, S. Theologiae in Academia Valentina Doctor, in Opere morali Venetiis edito ann. 1643. tom. 2. lib. 8. cap. 1. dub. 6. num. 1. Suppono, inquit, loquendo generaliter & in communi, in moralibus licitum esse cuiuslibet, sequi opinionem probabilem & minus tutam, relicta probabiliori & tutiore. Quam in rem auctores decem, & rationes duas producit.

Simillimā assercionē ponit Josephus Rocaful-

Ludovicus Montesinus.

Joannes Sanches.

Nicolaus Garcias.

Hieronymus de la Rua.

Petrus de Ochagavia.

Agidius Trullench.

Josephus Rocaful-

16 Quæstio Facti duarum Sententiarum

caful Valentiniæ & ipsæ Academiæ Doctores Theologus, in praxi Theologiæ moralis, 3. part. tract. de conscientia, lib. 3. cap. 6. num. 49. pag. 359. Quando sunt duæ opiniones inæqualiter probabiles, licet quis aget, formando dictamen juxta opinionem minus probabilem, relicta probabiliore: Ita communiter Doctores, &c. Quod triplici ratione probat.

Joannes Gutierrez.

Sic etiam Joannes Gutierrez lib. 1. canon. quæst. cap. 13. num. 23. Quando, inquit, super aliquo puncto, sunt diversæ sententia auctorum, ambæque probabiles, poterit unusquisque suam conscientiam conformare, cum qua voluerit eorum.

Joannes de Solorzano.

Docet quoque Joannes de Solorzano, lib. 3. de Indiarum jure, cap. 2. num. 38. Securos esse, qui opiniones dumtaxat probabiles amplectuntur, etiam si alia tutiores, & probabiles existant, præsertim ubi non de facto, sed de jure dubio, & eius interpretatione, aut intelligentia tractatur, de quo videnda sunt, quæ latè & eruditè tradunt Theologi recentiores post D. Thomam, in 2. 2. quæst. 63. art. 4. & quodlib. 8. art. 3. D. Antonin. 1. part. tit. 3. cap. 10. circa finem, &c.

Joannes Machado.

Disertissimè eandem sententiam tuetur Joannes Machado celeberrimus in utroque orbe Doctor, cum in Limensi primùm Academia, deinde in Salmanticensi, summa iugentii & doctrinæ laude floruerit. Nam in Opere Hispanicè edito, quod inscribitur *Perfessus Confessarius*, sic habet discursu practico, art. 3. Dico communiorē esse & magis receptam à Doctoribus sententiam, licet & tutum esse in conscientia, sequi minus probabilem opinionem, relicta probabiliore, siue sit ista propria siue alienum: & quamvis minus probabilis opinio, quam sequetur, minus secuta, aut magis secuta sit: aut doctus, vel ignarus sit, qui eam sequetur. Pro qua sententia Auctores citat quadraginta quinque.

Dino que la mas comun y recibo de los Doctores segun en conciencia, segun la opinion menos probable, dexando la mas probable, o sea esta

propria, o de otros: Y aunque la opinion menos probable que siguiere, sea mas segura * menos segura, o sea docto o ignorante el que la siguiere.

Itali, Alexander Peñantius.

Non dissentiunt Itali Doctores, quos inter & rerum pro Apostolica Sede gestarum gloria, & ingenii ac doctrinæ laude eminet Alexander Peñantius Romanus, qui in Commentariis Theologicis Paulo V. nuncupatis, ad 1. 2. quæst. 19. art. 6. disput. num. 3. ita loquitur: Dico, quod opinio qua ait aliquid non esse peccatum, est communis apud Doctores, vel quamvis non sit tam communis, quam contraria, si est aliquorum peritorum, neque habetur pro improbabili: potest quis doctus illam sequi. Et pauld post. Potest præterea aliis consilium dare secundum eandem opinionem.

Ludovicus Carbo.

Ludovicus Carbo publicus in Gymnasio Perusino Theologiæ Professor, magnæ vir integritatis ac doctrinæ, teste Posslevino, & operibus multis, quæ summa cum laude in lucem emisit, eximius atque præclarus, ut ait Antoninus Rosatus in epistola ad Cynthium Aldrobrandinum Cardinalem: in Summa, tom. 1. part. 1. cap. 14. editionis Venetæ, anni 1606. pag. 157. controuersiam hanc data opera examinat, ac

de ea sic pronuntiat: Licet sequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliore. Quod triplici ratione confirmat.

Brevissimè illud ipsum affirmat Lælius Zecchus clarissimus Theologus, in Summa Moralis Theologiæ, Clementi VIII. dicata, anno 1598. sic enim habet tom. 1. de Regulis humanorum actuum, cap. 4. num. 7. Quando omnes opiniones habent graves auctores, & probabiles rationes, potest licet quis eligere quamcumque.

Postremi sententiam dicent Belgæ Theologi, in quibus excellit Joannes Wigers, qui, teste Valeriano Andrea in Bibliotheca Belgica, non minus vitæ probitate, quam doctrinâ emicuit, & Scholam Theologicam Lovaniensem Professor Regius, annis continuis viginti sex, docendo scribendoque illustravit. Copiosissimè quæstionem hanc pertractat in 1. 2. qu. 19. art. 6. dub. 6. Quid autem sentiat, exponit: Dico quatuor, quando ex utraque parte sunt opiniones probabiles, quarum una est probabilior, & altera minus probabilis, possum in actibus moralibus sequi minus probabilem, modo verè & absolute probabilis sit: non tantum quando minus probabilis tutior est, vel quando ab operante habetur uti probabilior: sed etiam quando est minus certa, & habetur ab operante tanquam minus probabilis.

Mens est eadem Guillelmi Metcæ, quem & Aubertus Miræus in Bibliotheca aasserit Theologiam Lovanii docuisse primò in Abbatiâ nobili S. Gertrudis annis octo, postea Regis auspiciis in Scholis publicis totos viginti & octo annos; & Valerius Andreas multis planèque admirandis virtutibus prædium fuisse testatur. Sic enim habet in Commentariis ad 3. partem S. Thomæ, Lovanii editis anno 1639. pag. 383. Si pariter adhæreat opinioni probabilis, & contrariam probabiliorem Confessor judicet, debet Confessor eum absolvere. Ratio est, quia cum pariter operetur ex opinione probabilis, est bene dispositus.

Eidem quæstioni similiter respondet David à Mauden, cujus eruditionem, & præclarissimum opus in Decalogum mirificè commendat Michael Ophovius Episcopus Buscoducensis, in iis litteris, quæ præstantur alteri ejusdem auctoris volumini inscripto, Speculum aureum vitæ moralis. Sic autem loquitur discursu 2. in Decalog pag. 1031. col. 2. Confessarius potest & tenetur sequi opinionem probabilem penitentis, relicta sua probabiliore.

Franciscus Silvius, qui teste Valerio Andrea, Duacenam Theologiam Professor Regius atque ordinarius triginta & eo amplius annos cum docendo, tum scribendo mirificè illustravit; diligenter de hac quæstione disputat in 1. 2. ad q. 19. art. 5. quæst. 9. mentem autem suam sic exponit, conclus. 3. Quando sunt duæ opiniones verè probabiles, licet sit relicta probabiliore, sequi minus probabilem: siue hac, quæ minus probabilis est, sit tutior, siue non. Ita sentiunt Medina, Bannesius, &c. Atq; hanc assertionem suam triplici ratione confirmat.

Amplectitur eandem sententiam Gaugerius, Hispanus, natione Belgæ, professione Theologus Duacenus, in Additionibus ad Summulum Cajetani, verbo opinionis usus: Quando, inquit, auctorem opinionum contrarium utraque tanquam probabilis à Doctoribus admittitur, non necessarium eligi debet tutior & probabilior; sed potest alterutri earum quæque conformare: dummodò sibi persuadeat eam quam amplectitur esse probabilem, eique assentiat tanquam sufficienter fundata, quamvis forte contrarium propter urgentiores rationes existimet esse veriorum. Ita Medina loco supra citato. Neque hoc contrarium est supradictis, videlicet quod in dubiis eligenda sit pars tutior; quia quando utraque pars est probabilis, & sufficienter fundata (sicut hic ponimus) neutra censetur esse dubia, sed habet utraque certitudinem moralem.

His adjungi debet Richardus Hallus, natione quidem Anglus, sed diuturna commoratione Belgæ, ut constat ex Joanne Pufeo, qui & multiplicem ejus eruditionem commendat. Tract. de conscientia, lib. 2. cap. 9. ait: Magnorum virorum auctoritate sustinui, statim satis esse sequi opinionem alicujus probabilem, ut ad eas latebras non fugiamus, quibus quidam investigandam probabiliorum esse contendunt.

CAPUT VIII.

Concluditur sententias illas, quamvis à doctissimis quibusque Societatis Jesu Theologis defendantur, non esse tamen eorum proprias: immò Societati Jesu propemodum singulare fuisse easdem opiniones, tum variis modis temperare, tum etiam penitus oppugnare.

TAM copiosa utriusque sententiæ defensorum multitudo, quæ altero tanto major evadit, cum auctores omnes ab istis indicatos nactus fuero, adeo certum me asecutorum victoriæ fecit: ut non dubitem palam & aperte profiteri, celeberrimos Societatis nostræ Scriptores istis opinionibus adhæsisse. Sic docuit Franciscus Suarez, quem & Paulus V. Pontifex Maximus Doctorem excimium, & Alphonsus Castellanicus Conimbricensis Episcopus communem ætatis sue Magistrum appellavit. Nam tract. 3. in 1. 2. disp. 12. sect. 6. quod universè statuebat Medina, licere uti opinione probabilis, relicta etiam probabiliori, fatetur in his opinionibus esse verum, quæ versantur circa ipsam, scilicet an hoc sit prohibendum, vel preceptum, nec ne. Sic etiam Vasquez in 1. 2. disp. 62. cap. 4. num. 14. Valentia in 1. 2. disp. 2. quaest. 14. puncto 4. Tannerus disp. 2. de A-

ctibus humanis, q. 4. dub. 4. Granado in 1. 2. tract. 12. disp. 4. sect. 3. num. 23. Lessius lib. 2. de Justitia & Jure, cap. 29. num. 68. Becanus in Summa, parte 2. cap. 4. q. 9. n. 15. Turrianus in 2. 2. disp. 13. dub. 3. num. 21. Salas in 1. 2. tract. 8. disp. unica, sect. 6. Coninck tom. 2. de Sacrament. disput. 34. num. 84. Oviedo in 1. 2. tract. 3. contrav. 3. puncto 2. Arriaga in 1. 2. disp. 24. sect. 1. Palavicinus in 1. 2. disp. 9 q. 4. art. 4. Henriquez lib. 14. cap. 3. num. 3 Sanchez lib. 1. in Decalog. cap. 9 num. 14. Azor lib. 2. Instit. moral. cap. 16. q. 3. Layman tract. 1. cap. 5. §. 2. num. 7. Fillucius tract. 20 in Decalog. c. 4. num. 128. Reginaldus in Praxi fori pœnit. lib. 13. cap. 10. sect. 2. Gordonus lib. 1. q. 9. num. 33. à Castro Palao parte 1. disput. 2. puncto 2. Baldellus lib. 4. disp. 12. num. 1. Besslerus lib. 3. de conscientia, cap. 8. alique complures.

Quamvis tam multi Societatis nostræ Scriptores sententias illas amplexi sint, nego tamen eas esse ipsorum proprias. Quis enim tam iniquè sentiat, ut illis singulariter adscribendum putet, quod ab aliis Ordinum omnium ac nationum Theologis, & doctrinæ fama clarissimis, & numero propemodum infinitis, incredibili planeque admirando consensu propugnatum viderit. Accedit, quod plerique ex Auctoribus à me productis posteriorem sententiam, quæ & priorem continet, non modò defendunt, sed etiam in omnibus Europæ Scholis & Academiis doceri profitentur. Nam ex Gallia Ylambertus exclamat: Ita communiter Doctores. Ex Hispania verò Ludovicus Montefinus, Petrus Navarra, & Gregorius Martinez: Hac sententia est communis in Scholis, hæc est communior Theologorum sententia, hæc est sententia communis. Ex Italia Martinus Bonacina Episcopus, Jacobus Raggius, & Angelus Bollius: ita communiter Theologi, inquit, ut ita dicam, infiniti, ita omnes publici Professores Theologiæ. Denique ex Germania Joannes Caramuel Episcopus: Illa sententia hodie est omnium.

Fatebitur forsitan aliquis sententiam hanc in omnibus orbis Christiani Academiis dominari; sed in eas à Societatis nostræ Theologis introductam esse lamentabitur. Quod etiam à quibusdam iracundè, & atrociter expostulari solet; caret tamen omni probabilitatis specie ac colore: immò aperte falsitatis convinci nullo negotio potest. Nam, ut omitram antiquiores Episcopos & Doctores, qui primam opinionem manifestè tuerentur, & isti non mediocriter favent: demonstratum est superius Franciscum Victoriam, Bartholomæum Medinam, Ludovicum Lopez, Bartholomæum Ledesinam, aliosque doctissimos Thomistas, multò ante eam perspicuè & acriter defendisse, quam ab ullo nostrorum esset propugnata. Quam obrem Gabriel Vasquez, qui inter primos Societatis Jesu Scriptores, eam sub finem superioris sæculi amplexus est, ait in 1. 2. disp. 62. cap. 4. num. 14. in Scholis multò antè communè fuisse. Quod ab eo verè affirmari non dubitabit, quisquis recordabitur Michaëlis Salo-

Granado.
Lessius.
Becanus,
Turrianus.
Salas.
Coninck.
Oviedo.
Arriaga.
Palavicinus.
Henriquez.
Sanchez.
Azor.
Layman.
Fillucius.
Reginaldus.
Gordonus.
Castro Palao.
Baldellus.
Besslerus.

ORATI
RIS.
ELOGI
MORA